

tar in numero eorum, qui sunt sancti. Quamvis autem ex praemissis particularibus nihil sequatur, ex meritis tamen singularibus aliquid potest concludi: nam propositio singularis, ut supra ostendimus, universalis æquivalet: ita in exemplo Syllogismi proprii supra allati: Auctor Pentateuchi est Legislator Judæorum; Sed Moyses est Auctor &c. Ergo. Major propositio Auctor Pentateuchi est Legislator Judæorum, æquivalet universalis, & per modum universalis effterri potest: Quicumque est Auctor Pentateuchi ille etiam est Legislator Judæorum.

VI. Si alterutra præmissa particularis est, conclusio quoque particularis erit, & contra. Nam si negas conclusionem esse particularem, ubi alterutra præmissa particularis est; concedendum erit eam esse posse universalem. Affirmandum igitur, vel negandum erit de omni subiecto, quod de aliquo tantum subiecto affirmari, vel negari potest; quod universalis Syllogismorum regulæ contrarium est. Igitur conclusio universalis esse nequit, ac proinde erit particularis.

VII. In nullo Syllogismo utraque præmissa potest esse negativa; nam ex saepius repetito Syllogismorum principio; aliquid negatur de subiecto, quia subiectum continetur sub omni, de quo prædicatum negatur; quamobrem cum una præmissarum affirmare debeat subiectum, de quo aliquid negandum est, contineri sub omni, de quo prædicatum illud negatur; evidens est præmissam unam debere esse affirmativam, ac proinde utramque non posse esse negativam. E. G. si quis ita argumentatur: Nullus homo est immortalis: Nullum brutum est homo; Ergo nullum brutum est immortale; consequentiae vis nulla est, et si omnes propositiones veræ sint

VIII. Si una præmissarum fuerit negativa, conclusio quoque negativa est; etenim de subiecto aliquid negandum est, quia continetur sub eo omni, de quo prædicatum illud negatur: sed propositio illa, quæ aliquid de subiecto negat, eo quod subiectum continetur sub omni, de quo prædicatum illud negatur, est conclusio; cæteræ propositiones, quibus idem negatur de omni, & quibus affirmatur subiectum sub omni contineri, sunt præmissæ; Ergo si